




PLAUSUS PARNASSI

IN ORTU

SERENISSIMI

BRITANNIÆ DUCIS.

Nobilis in Clario crescit quæ monte Juventus
Et studiis Musas obsequiosa colit;

Phœbæas pro more ardens decerpere lauros

Innocuis miscet prælia docta modis:

Cum subitâ præter solitum dulcedine lætus

Astitit in medio Cinthius ipse choro.

Et mox ô teneri, mea gloria, dixit, Alumno

Vestra hæc in festos vertite bella jocos.



Ingentis puer exoritur spes tertia regni ;

Qui martis pariter , nostraque jura colet.

Dulcia qui toti crescens dabit otia mundo

Hic vobis nascens otia blanda facit.

Hūic Proavus regum Rex felicissimus unus ;

Fortunâ LODOIX major at ipse suâ.

Adelaïs mater , pater est BURGUNDUS , avusque

DELPHINUS , Patruus regna PHILIPPUS habet.

Dicta olim vobis hæc nomina dictus avusque

Patruus & proavus , dictus uterque Parens.

BORBONIDUM toties genti plaufistis avitæ

Plaudere nascenti sit nova cura Duci.

Continuo fremere exultans animosa Juventus

Et nova lætitiæ signa parare suæ.

Ingens sub Clario protenditur area monte

Qua nitidi spirant & sine nube dies.

Quatuor exurgunt sacrata palatia musis ;

Festis eligitur plaufibus ille locus.

Hic templum extruitur rutilis sublime columnis

Unde recens nati pender imago Ducis.

Insignis matrem inter avum patremque atavumque

Ingenuo cunctos parvulus ore refert.

Parte aliâ spirant emblemata picta loquaci

Regalis mores ingeniumque Ducis.

Purpureâ passim decorantur luce fenestræ

Quæque suo radians ordine stella micat,

Cætera textilibus splendent velata coronis

Subque suo latitat fecta decore domus.

Auditur signum interea, lituique tubæque

Non nocitura omnes clangor ad arma vocat,

Ardens continuo sua dirigit arma Juventus,

Atque aula innocuo murmure pulsa tonat,

Undique flamma volat, volat ingens undique fumus,

Adversis nixos hostibus ire putes.

Verum æstu in medio, grato fremit area cantu

Vivat qui facit hæc otia blanda puer.

Vivat io repetit plebs læto accita tumultu

Vivat io Pindi consonat omne nemus.

Post festi assurgunt ignes qui mille figuris

Mille simul gaudent ire redire vias.

Hic veros soles imitatur solis imago

Igneâ; sol verus, si diuturnus, erat,

Nunc terris subito elapsus, redit aureus imber,

Nunc fons irriguo lucidus igne fluit.

Spiceus hic crescit flamma stridente manipulus;

Mox illum ex oculis, quæ parit hora, metit.

Ignæus hic rapido tollit se vortice torrens

Ille sequax humili repere gestit humo.

Hic furit adversis obnitens ignibus ignis,

Et parat ardenti bella movere polo.

Et sic dum puero pueri pro principe certant

In multos trahitur pugna jocosa dies.

Si qua fides plebi innumeræ & popularibus auris

Dignus vel tanto Principe plausus erat.

Non sunt illa tamen subiti spectacula festi

Te Princeps Pindo iudice digna fatis.

Prima hæc indulgens permisit Phæbus alumni;

At majora tibi quæ parat, ipse reget,

Ut venit alma dies regali sacra puello

Confluit in notum splendida turba jugum.

Hinc Phœbus lætis pueros in vestibibus omnes

Ad sua deductos ordine templa vocat,

Musæ adsunt mulcentque suis concentibus auras

Proque recens nato Principe vota canunt.

Hæc virtutem atavi puero matrisque decorem

Illa precatur avo, sit similisque patri.

Regalem alme pater Gallis tutare puellum

Neu tenerum lædat sæva procella caput.

Hic Pindo patriæque puer pretiosus & orbi;

Vivat, & incolumis Gallica Sceptra regat.

Vivat & exemplis discat regnare suorum

In propriâ cernat grandia facta domo.

A proavo discat populos superare rebelles,

Discat & à proavo Rex bonus esse suis.

At chorus insignis puerorum ex ordine reddit

Sit Proavo, sit avo, sit similisque patri.

Mox Phœbi ad nutum cultu patet aula superbo

BORBONIÆ laudes sueta referre domus.

Hic ingens procerum longo sedet ordine turba,

Lectique ex omni nobilitate viri.

Attoniti Musæ pendent dicentis ab ore

Grandia dum puero de Duce verba facit.

Namque refert faustos sperati ut Principis ortus

Regi promeruit Relligionis amor:

Utque illos pariter Gallis sperantibus ortus

In Regem potuit promeruisse fides.

Nox erat, & jam omnes ferus decedere vesper

Admonet, ast ollis nox sine nocte fuit.

Ipse novos ignes nova lumina Divus Apollo

Finxerat, atque novâ jusserat arte regi.

Quin bonus & propriis Phœbus certavit alumniis

Et visa est anceps palma, volente Deo.

Donec te dignos nascens puer exerit ignes

Et sic Parnassi se probat esse patrem.

Vicit Io, exclamat, mixta cum plebe juvenus;

At solus pueros vicit Apollo suos.

Magna dabit victis tantus solatia victor;

Sciret si Phæbus cedere, victuserat.



J. J. BERRUYER. S. J.